Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 397
Quelle:
Copyright:

Ad compingendum *Codicem* utrinque adhibita est Membrana duabus columnis exhibens Fragmenta cujusdam Commentarii Rabbinici in *Psalmos*, ut videtur, charactere vetusto hebr. hispano absque punctis exarata.

CCXLIII.

R. 2002 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 168. f. per duas columnas exaratus rubricis enotatus, et quondam, ut pluribus locis, maxime vero sub Indicis calcem, legitur, *Carthusiensium orti sancte marie in praga sub monte petrino. donatus per Meynhardum de Nouadomo. Indigni domini et plebani in Telcz*, quem ne Gubernatorem *Bohemiae* a. 1449. e vivis sublatum pronunciem, τὸ *plebani* retinet, est notus, et jam *Vol.* I. a me relatus *Mammotrectus*, sive Expositio Vocum difficiliorum, quae cum in Bibliis, tum in ecclesiastico per annum Officio occurrunt, rudioribus Clericis dicata ab *Joh. Marchesino*, quem Editio *Colon. per Joh. Koelhof* 1479. 4. in *Murachismum* deformat, O. M. Primus eam prelo subjecit *Petr. Schöffer Moguntiae* 1470. in aliumque redegit ordinem, ut ipse in *Praef.* ad calcem adjecta narrat, et Collatio cum praesenti Codice instituta confirmat. Interim Codici nihil deest, quin uber sub finem rerum Index accessit. Prologi initium est: *Impatiens proprie imperitie ac ruditati compaciens pauperum clericorum* &c. Si quid in futurum ejusmodi Operis necessitatem adduxerit, id non tam paupertas, quam Linguae latinae neglectio fuerit. Sub Prologi finem ait Autor, Expositionem suam morem Paedagogi gerere, *qui gressus dirigit Parvulorum*, atque inde *Mammotrectum* adpellari posse; quod, quomodo cohaereat, non dispicio.

CCXLIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3243 XIV. Folior. 160. 8. per duas columnas non una manu, minute sed nitide descriptus, rubricis enotatus, et olim *Bibliothecae Civicae Vindobon.* sequentia continet: I. ut ad oram inferam *fol.* 1. legitur: *Notabilia super omnes libros byblie*, id est Expositio Vocum minus obviarum, qualem ampliorem dedit *Joh. Marchesinus* O. M. in suo *Mammetracto*, ut non semel utroque *Vol.* indicavi. Praesentem porro ex illo carptam fuisse, alia manus ad Titulum mox relatum adnotavit. Initium est: *Prologus est caput compositionis uel sequentis operis prefacio. et dicta prefacio quasi prolocutio* &c. Pertinent haec ad *Hieronymi* in *Pentateuchum Prologos*; nam et hi delibantur. Extrema *Apocalypseos* sunt: *iuste fornicator supplicijs afficitur. Explicit liber iste. deo gratias.*

Sit bonus oro status vester, finisque beatus.